Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

que robustior fuit pulsanda. aut potius subvertenda accedit. Sciens quoque quod verum erat quod minus ad huc dicendum non est, ve soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem. et si quis spiritalia prevaluerit adversus unum, duo resistunt ei. Primum diligenter solitariam feminam exploravit, et inveniens in ea primum omnem sue temptationis conatum expediri disposuit.

Quare ab interrogatione exorsus est.

Videret autem quanta esset confusio et timiditas nequitie in conspectu virtutis. Stans coram et coram femina hostis superbus ex sola malicia cogitata non diu dicta confundit. et quasi se iam perversum quam etiam loqueretur deprehensum metuens. non audet exire in verba persuasionis donec animum temptande interrogatione presentiat. Cur inquit precepit deus vobis, ut non comederetis de omni ligno paradisi. Cui respondit mulier: De fructu lignorum que sunt in paradiso vescimur. de fructu vero ligni quod est in medio paradisi precepit nobis deus ne comederemus et ne tangeremus illud ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam morte moriemini. Considerate incrementa persuasionis. Primum dixerat deus. In quocumque die comederis ex eo morte morieris. Deinde mulier dixit ne forte moriamur. Novissime serpens dixit. Nequaquam morte moriemini. Deus affirmavit. mulier dubitavit. diabolus negavit. Nequaquam autem diabolus coram muliere verba dei negare presumpsisset. si non prius ipsam mulierem dubitantem invenisset. Que ergo dubitavit. ab affirmante recessit. et neganti appropinquavit. Ipsa igitur fecit aliquid inchoavit malicia. quod temptatori vero persuasionis dedit audaciam.

Quod non soli viro preceptum sit datum.

Sane hic considerandum quod nequaquam ad modum superius videtur soli viro preceptum datum sit. Ipsa enim mulier hoc testatur se quoque mandatum ut lignum scientie boni et mali non tangeret. Sed voluit scriptura ostendere quod mulier que viro subiecta fuit. divinum mandatum non nisi mediante viro accipere debuit. ut sermo dei primum quasi immediate ad virum fieret. deinde mediante viro ad mulierem quoque que subiecta viro fuit et consilio viri instruenda pervenerit.

De modo temptationis. v.

Hoc autem diligenter considerandum quam callide hostis primum quod mulier timuit malum negando removit. ac deinde quod ipse intendit malum liberius persuasit. Novissime autem ad ipsam persuasionem suffulciendam promissionem adiunxit. et ut eadem persuasio citius reciperetur. promissionem duplicavit. Qui enim unam tantum comestionem suasit. pro una duo reponens in premio similitudinem dei scientiamque boni et mali spopondit. In persuasione divinitatis cognovimus vanam gloriam et avariciam. Inmoderata namque edendi concupiscentia gula est. Desiderium autem inordinatum excellendi vana gloria. Nimius vero appetitus habendi vel possidendi avaricia. vi.

Que mala fuerint in originali peccato.

In originali peccato tria vicia fuerunt. Inobedientie due et peccatum unum. Tria vicia fuerunt. Superbia. avaricia. Gula. Due inobedientie. una in precepto nature. altera in precepto discipline. Et hec omnia quoniam uno actu completa sunt unum peccatum dicuntur. In viciis prima fuit superbia. secunda avaricia. tercia gula. In superbia et avaricia inobedientia fuit de precepto nature. In gula sola inobedientia fuit de precepto discipline. Nusquam enim legitur deus prohibuisse homini. ne similitudinem divinitatis vel scientiam boni et mali concupisceret. Quia tamen inordinate hec concupiscens contra rationem suam fecit. quodammodo naturalis precepti prevaricator extitit. De solo ligno scientie boni et mali legimus. quod prohibuit deus homini ne illud contingeret. et ideo cum mulier illud appetendo tetigit. de precepto discipline inobedientie reatum incurrit.

Quod mulier delectationi promissionis persuasioni assensum dedit. vii